



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

3. Nouitij non sunt leuiter recipiendi ad professionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)


rationibus suis eis impetrando. Debemus nos *Rom. 13.*
 firmiores imbecillitates infirmorum sustinere,
 & non nobis placere. Congregabit agnos: & in
 sinu suo leuabit. Status nouitiorum est tractabi- *Isai. 40.*
 lior, sicut virga trabe est flexibilior: ideo dire-
 ctioni eorum cura multa est adhibenda. Tem-
 pore nouitiatus in psalmodia & officio diuino
 diligenter debent studere: & in regula, & in sta-
 tutis ordinis, secundum quæ necesse habent vi-
 uere.

*Quòd nouitij non sunt leuiter ad profes-
 sionem recipiendi.*

CAPVT III.

Nouitij non sunt leuiter ad professionem
 recipiendi. Leuiter recipiuntur cum de
 moribus eorum ante professionem experientia
 non habetur: Vel cum ea ad quæ in professione
 se obligant, eis ante professionem non expo-
 nuntur. B. Benedictus in regula sua dicit, vt no- *Cap. 58.*
 uitio post duorum mensium circulum legatur
 regula per ordinem: & dicatur ei. Ecce lex sub
 qua militare vis: si potes seruare, ingredi. Et si
 adhuc steterit, post sex mensium circulum rele-
 genda est ei regula: vt sciat ad quod ingreditur.
 Et si adhuc stat, iterum post quatuor menses le-
 genda ei. Prohibuit Dominus, Ne animal cœ- *Leuit. 22.*
 cum offerretur ei. Cœcum animal Deo offer-
 tur, quando aliquid Deo promittitur: & quid il-
 lud sit, nescitur. Quòd aliquis leuiter ad profes-
 sionem recipitur, quandoque accidit ex super-
 bia recipientium, qui verecundantur quòd ali-
 quis qui ad eos ingreditur ad seculum reuerta-
 tur.

tur. Qui tali fatuitate laborare videntur, qua laboraret qui verecundaretur de hoc quod in messe sua palea inueniretur. In his qui in religione ad probationem recipiuntur, ventus tentationis indicat quis palea, quis granum existat. Ad impetum enim huius venti palea discedit: granum verò locum suum non dimittit. Superuacuum esset tempus probationis, si omnes qui probantur, necessariò approbarentur. Cum de multis à Deo vocatis, pauci sint electi non est mirum si non omnes qui probantur, ad professionem admittantur. Aliquando accidit quòd aliquis ad professionem leuiter recipitur, ex indiscreta pietate recipientium; qui carnalibus hominibus adeò compatiuntur, ut cum eis carnales efficiantur. Ipsi sunt infirmi adeò misericordes, quod sanis sunt crudeles et infideles: inter quos ponunt homines pestilentes qui eos corrumpant. Multi homines misericordes vocantur: vnum autem fidelem quis inueniet? Oportet ut religio despumetur, ad hoc ut in sua puritate seruetur. Vbi nulla est despumatio, est impuritas multa. Gloriantur aliqui de hoc quod de ordine eorum nullus apostatat: quibus dici potest, quòd non est mirum si nullus apostatando egreditur, in quo apostasia toleratur.



Pro. 20.

Quod